



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

vtrum veritas principalius inueniatur in intellectu quàm in rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

AD SEPTIMUM dicendum, qd verum non est in plus quam ens, ens enim aliquo modo acceptum dicitur de non ente, secundum qd non ens est apprehensum ab intellectu. vnde in 4. Metaphys. dicit Philo. quod negatio, vel privatio entis vno modo dicitur ens: vnde etiam Auic. dicit in principio suae Metaphysicae quod non potest formari enuntiatio nisi de ente, quia oportet illud de quo propositio formatur esse apprehensum sub intellectu, ex quo patet quod omne verum est aliquo modo ens.

AD PRIMUM vero eorum que contra obijciuntur, dicendum, qd ideo non est negatio cu dicitur verum: qa aliqd exprimitur nomine veri, quod non exprimitur nomine entis, non propter quod re differat.

AD SECUNDUM dicendum, qd quamvis istum formati sit malum, tamē secundum hoc qd habet aliquid de entitate, natum est conformari intellectui, & secundum hoc consequitur ibi ratio veri, & ita patet quod non excedit nec exceditur ab ente.

AD TERTIUM dicendum, quod cum dicitur dicitur esse, & quod est, distinguitur actus essendi ab eo cui actus ille convenit: ratio autem entis ab actu essendi sumitur, non ab eo cui convenit actus essendi, & ideo ratio non sequitur.

AD QUARTUM dicendum, quod secundum hoc verum est posterius ente, quod ratio veri differt ab entis ratione modo praedicto.

AD QUINTUM dicendum, qd illa deficit in tribus: primo qd quavis tres illae personae divise re distinguantur, appropriata tamē personae non differunt re, sed ratione. Secundo, qa & si personae realiter ab invicem distinguantur, non tamē realiter ab esse distinguuntur, vnde nec verū quod appropriatur personae filij ab esse, quod se tenet ex parte essentiae. Tertio, qa & si ens verum vni & bonū magis vniuntur in Deo, qd in rebus creatis, non tamen oportet qd ex quo in Deo ratione distinguuntur, qd in rebus creatis distinguantur etiam realiter. hoc enim contingit de illis quae non habent ex ratione sua qd sint vnum secundum re, sicut sapientia & potentia, quae cum in Deo sint vni, in creaturis realiter distinguuntur: sed ens, verum, vnum & bonum secundum suam rationem habent qd sint vnum. vnde vbiunque inveniuntur realiter vnum sunt, quamvis perfectior sit vnitatis illius rei secundum quam vniuntur in Deo, quam illius rei secundum quam vniuntur in creaturis.

ARTICVLVS III.

Primum veritas principalis in intellectu, quam in rebus reperitur.

SECUNDO queritur, vtrum veritas principalis inveniatur in intellectu quam in rebus. Et videtur quod non. Verum enim ut dictum est conuertitur cum ente: sed ens principalis inuenitur extra animam, ergo & verum.

¶ 1. Praet. Res non sunt in anima per suam essentiam, sed per suam speciem, ut dicitur in 3. de Anima. si ergo veritas principaliter in anima inueniatur, veritas non erit essentia rei, sed similitudo vel species eius, & verū erit species entis existentis extra animam: sed species rei existens in anima, non predicatur de re, quae est extra animam, sicut nec conuertitur cum ea, ergo nec verū conuertitur cum ente, quod falsum est.

¶ 2. Praet. Oportet quod est in aliquo, consequitur illud, in quo est. si ergo veritas principaliter est in anima, iudicium de veritate est secundum estimationem animae, & ita redibit antiquorum Philosophorum error, qui dicebant, oportet quod quis opinatur, esse verum, & duo

contradictoria esse simul vera, quod est absurdum.

¶ 4. Praet. Si veritas principaliter est in intellectu, oportet qd aliqd, qd ad intellectū veritatis pertineat, in definitione veritatis ponatur: sed August. huiusmodi definitiones reprobatur in lib. Soli. sicut istam, verū est, quod ita est, ut uiderur: quia secundum hoc non esset verum, quod non uideret, quod patet esse falsum de occultissimis lapillis, qui sunt in uisceribus terrae, & similiter improbat ista, verum est, qd ita est, ut cognitioni uideret, si uelit & possit cognoscere esse: quia secundum hoc non esset aliquid uerum, nisi cognitio uellet, uel posset cognoscere. ergo & eadem ratio esset de quibuscumque alijs definitionibus in quibus aliquid ad intellectum pertinens poneretur, ergo ueritas non est principaliter in intellectu.

CONTRA, Philo. dicitur in 6. Metaphysic. non est verum, & falsum, nisi in mente.

¶ 3. Praet. Veritas est adaequatio rei, & intellectus: sed haec adaequatio non potest esse, nisi in intellectu. ergo nec ueritas, nisi in intellectu.

RESPON. Dicendum, qd in illis, quae dicuntur per prius, & posterius de multis, non semper oportet, qd id quod per prius recipit predicationem communis, sit ut causa aliorum: sed illud in quo primo ratio eius completa inuenitur, sicut sanum per prius dicitur de animali, in quo primo perfecta ratio sanitatis inuenitur, quamuis medicina dicatur sana, ut effectiua sanitatis. Et ideo cum verum dicatur de pluribus per prius, & posterius, oportet qd de illo per prius dicatur, in quo inuenitur perfecta ratio veritatis: complementum autem cuiuslibet motus est in suo termino per operationem animalis: motus autem cognitiuae virtutis terminatur ad animam: oportet enim, ut cognitum sit in cognoscente per modum cognoscentis: sed motus appetitiuae virtutis terminatur ad res. Et inde est, qd Philo. in 3. de Anima ponit circulum quendam in actibus animae, secundum si qd res, quae est extra animam, mouet intellectum, & res intellecta mouet appetitum, & appetitus tunc ducit ad hoc, qd perueniat ad rem a qua motus incipit. Et quia bonum, ut supra dictum est, dicit ordinem ad appetitum, uerum autem ad intellectum, inde est, qd Philo. dicit 6. Metaphysic. qd bonū, & malum sunt in rebus, uerum & falsum sunt in mente. Res autem non dicitur uera, nisi secundum qd est intellectui adaequata, vnde per posterius inuenitur verum in rebus, per prius autem in intellectu. Sed sciendum, qd res aliter comparatur ad intellectum practicum, aliter ad speculatiuum. Intellectus enim practicus causat res, vnde est mensuratio rerum, quae per ipsum sunt: sed intellectus speculatiuus, quia accipit a rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus, & ita res mensurant ipsum. Ex quo patet, qd res naturales, ex quibus intellectus noster scientiam accipit, mensurant intellectum nostrum, ut dicitur 10. Metaphysic. sed sunt mensurate ab intellectu diuino, in quo sunt omnia creata, sicut omnia artificia in intellectu artificis. Si ergo intellectus diuinus est mensurans, non mensuratus, res autem naturalis mensuratur, & mensurata: sed intellectus noster est mensurans, non mensurans quidem res naturales, sed artificiales tantum. Res ergo naturalis inter duos intellectus constituta secundum adaequationem ad utrumque: uera dicitur, secundum enim adaequationem ad intellectum diuinum dicitur uera, in quantum implet hoc ad quod est ordinata per intellectum diuinum, ut patet per Anselmum in lib. de Verbo, & Augustinum in

Lib. 1. foli. cap. 4. & 5. tom. 1.

Coment. 8. tom. 1.

Coment. 54. & sequent. tom. 2.

Art. praet.

Coment. 8. tom. 1.

Coment. 5. tom. 1.

Es. 31. 10. 11

Com. 14. tom. 3.

In corp. ar.

In corp. ar.

p. q. 6. art. 16.

Comen. 8. tom. 3.

Comen. 21. tom. 3.

lib. de Vera religione, & per Auic. in definitione inducta: veritas cuiusq; rei, & cetera, sicut autem adaequatione ad intellectum humanum, dicitur res vera, inquam nata est de se formare vera estimationem, sicut e contrario res falsa dicuntur, quae natae sunt videri, quae non sunt, aut qualia non sunt, ut dicitur in 5. Metaphysico. Prima autem ratio veritatis per prius inest rei quam secunda: quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quam humanum, unde etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res diceretur vera in ordine ad intellectum diuinum: sed si uterque intellectus, quod est impossibile intelligeret auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut ex dictis patet, verum dicitur per prius de intellectu, & per posterius de re sibi adaequata, & utroque modo conuertitur cum ente: sed diuersimode, quia sicut dicitur de rebus conuertitur cum ente per praedicationem, omne enim ens est adaequatum intellectui diuino, & e converso sibi adaequare intellectum humanum, & e converso. Si autem accipiatur verum, prout dicitur de intellectu, sic conuertitur cum ente, quod est extra animam, non per praedicationem, sed per conuenientiam, eo quod cuiuslibet vero intellectui oportet, quod respondeat ens aliquod, & e converso, & per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod illud quod est in aliquo, non sequitur illud in quo est, nisi quando causatur ex principijs eius, unde lux quae causatur in aere ab extrinseco, scilicet ex sole sequitur motum solis magis, quam aere. Similiter etiam veritas, quae in anima causatur a rebus, non sequitur estimationem animae, sed existentiam rerum, ex eo enim, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur, & intelligitur similiter.

Ad quartum dicendum, quod Augustinus loquitur de visione intellectus humani, a qua rei veritas non dependet. Sunt enim multae res, quae intellectu nostro non cognoscuntur: nulla tamen res est, quam intellectus diuinus actu non cognoscat, & intellectus humanus in potentia, cum intellectus agens describat quod est omnia facere, & intellectus possibilis quod est omnia fieri. Et ideo in definitione rei verae potest poni visio in actu intellectus diuini, non autem visio intellectus humani nisi in potentia, ut ex dictis patet.

ARTICVLVS IIII.

Primum in intellectu componente, & diuidente sit veritas. Tertio quaeritur, utrum veritas sit tantum in intellectu componente, & diuidente. Et videtur quod non. Verum enim dicitur sicut comparatione entis ad intellectum: sed prima operatio qua intellectus comparatur ad rem est sicut quae format quidditates rerum accipiendo definitiones earum, ergo in ista operatione intellectus principalis, & proprius inuenitur.

¶ 2. Prater. Verum est adaequatio rei, & intellectus: sed sicut intellectus componens, & diuidens potest adaequare rebus, ita & intellectus intelligens quidditates rerum, ergo veritas non est tantum in intellectu componente, & diuidente.

Contra 6. Metaphysico, dicitur, Verum & falsum non sunt in rebus, sed in mente: in simplicibus autem, nec etiam, quod quid est, est in mente.

¶ 2. Prater. In 3. de Anima dicitur, quod indiuisibilem intelligentiam in illis est, in quibus non est verum, & falsum.

Respon. Dicendum, quod sicut verum per prius inuenitur in intellectu quam in rebus, ita etiam per prius

inuenitur in actu intellectus componentis & diuidentis, quam in actu intellectus quidditates rerum formantis. Veri enim ratio consistit in adaequatione rei & intellectus: idem autem non adaequatur sibi, sed aequalitas diuersorum est: unde ibi primo inuenitur ratio veritatis in intellectu, ubi primo intellectus incipit aliquid proprium habere, quod extra animam non habet, sed aliquid ei conueniens, inter quae adaequatio attendi potest. Intellectus autem formans quidditates, non habet nisi similitudinem rei existentis extra animam, sicut sensus in quantum accipit speciem rei sensibilis, quando incipit iudicare de re apprehensa, tunc ipsum iudicium intellectus est quoddam proprium, quod non inuenitur extra in re. Sed quando adaequatur ei quod est extra in re, dicitur iudicium verum esse: tunc autem iudicat intellectus de re apprehensa, quando dicitur quod aliquid est, vel non est, quod est intellectus componentis & diuidentis: unde Philosophus dicit 6. Metaphysico, quod compositio & diuisio est in intellectu, & non in rebus. Et inde est, quod veritas per prius inuenitur in compositioe & diuisione intellectus, secundario autem dicitur veritas & per posterius in intellectu formate definitionis: unde definitio dicitur vera, vel falsa, ratione compositionis verae vel falsae: ut quando, scilicet dicitur de se definitio eius, cuius non est, sicut si definitio cuiusdam alligetur triangulo, vel etiam quando praedicationis non possunt componi admodum, dicitur definitio alicuius rei animalis insensibilis (haec enim compositio qua implicatur, scilicet quod aliquod animal est insensibile, est falsa). Et definitio non dicitur vera vel falsa nisi per ordinem ad compositionem, sicut & res dicitur vera per ordinem ad intellectum. Patet ergo ex dictis, quod verum per prius dicitur de compositione vel diuisione intellectus, secundo de definitionibus rerum, secundum quod eis implicatur compositio vera vel falsa: unde de rebus secundum quod adaequantur intellectu humano, quae aptae natae sunt adaequare intellectui humano, quae de homine qui est eternus orationum, verarum vel falsarum vel qui facit estimationem de se, vel de alijs veram vel falsam per ea quae dicitur, facit: voces autem eodem modo recipiunt veritatem praedicationem, sicut intellectus quos significat.

Ad primum ergo dicendum, quod quantum ad rem, inuenitio quidditatis sit prima operatio intellectus, inuenitio autem per eam non habet intellectus aliquid adaequatum prius, quod possit rei adaequare, & ideo non est in propria veritas. Et per hoc patet solutio ad secundum.

ARTICVLVS IIII.

Quarto quaeritur, utrum sit una tantum veritas, quae omnia sunt vera. Et videtur quod sic. Antiquum enim in lib. de veritate dicit, quod sicut tempus se habet ad omnia temporalia, sic veritas ad omnia, sed tempus ita se habet ad omnia temporalia, quantum tantum tempus, ergo ita se habet veritas ad omnia vera, quod erit tantum una veritas. Sed dicendum, quod veritas dicitur dupliciter, uno modo, ut est idem quod entitas rei, ut definit eam Augustinus in lib. Soli, verum est id quod est, & sic oportet esse plures veritates secundum quod plures sunt entitates rerum. Alio modo dicitur prout exprimitur in intellectu, prout definit eam Hilarius, verum est electum esse, & hoc modo cum nihil possit aliquid esse, stare intellectui nisi secundum virtutem primae veritatis dicitur.